ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Nobilissimo, doctissimoq. viro D. Constantino
Hugenio C. Barlaeus S.P.D.

Imperaveram iampridem mihi silentium, Hugeni doctissime, uti ex adiuncto Epigrammate vides, et Musis omnibus totiq. Heliconi vale dixeram. Verum uti in magno dolore, praesente patris periculo silentium rupit Croesi filius, ita mihi ingens patriae gaudium poeticam denuo fibulam laxavit. Dum illa feliciter rem gerere pergit, ego, licet minus feliciter, canere. Quam vereor, ne tandem illud meum βρεκεκεκὲξ κοὰξ κοὰξ auribus tuis aliorumq. molestum aliquando sit. Illud in Sylvam-Ducis operosius est. quid ni? maioris etiam operae ~~est~~ fuit illam vicisse. Olindam impetu cepimus, impetu celebravimus. Anne et hoc est orationem rebus accommodare? Cum hac transiret ante octiduum Nobiliss. Mylius, Ecquid, inquit, Barlaee iam silebis, et indictum sines Pernambucum? affirmavi ego, et me nimia mea garrulitate erubescere aiebam: esse qui istam meam in poëtico studio liberalitatem reprehenderent. Etiam hic verum esse illud Theognidis καὶ τίκτει κόρος ὕβριν. Verum postero die cum vix a somno coepissem connivere, et iam oculis detersissem nocturnum humorem, coepi furere, et ad damnatum morem recurrens carmen scripsi deductum, uti loquitur Maro, minus operosum, et tenuis spiritus, uti loqui amat Flaccus. Languent animalia post immoderatam venerem, ob exhaustum spirituum fontem. Et horum quoq. penuria fatiscit vis illa Apollinis, et oestrum, quo vatum mentes incalescere solent. Quod de meretricula sua exclamat Horatius, ego de Poësi dixerim:

Quae saga, quis me solvere Thessalis
Magus venenis, quis poterit deus?
Vix illigatum me triformi
Pegasus expediet Chimaera.

Si perrexerim in hoc studio
Tandem resident cruribus asperae
Pelles, et album vertar in alitem
Superne, nascunturq. leves
Per digitos humerosq. plumae.

Vale mi Hugeni et diu vive
Grande decus columenq. rerū mearum.
Ah, te meae si partem animae rapit
Maturior vis, quid moror altera?
Nec carus aequè, nec superstes
Integer. ille dies utramq.
Ducet ruinam. etc.

Vide ut Horatiana crepem, qui iam totus in eius sum lectione et mordacem rumino Flaccum. Lugd. Bat. iv Non. Maij cIↄIↄcxxx.

[signature]

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 44
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/510

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 44
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/510

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 44
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/510

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus Huijgens
Ridder Secretaris van sijn
Ex.ie wonende in de hout=
straet

Hage

port

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 44
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/510